

oblinire bonum est. Alij cucumeris asinini fructus & folia per biduum mace-
rant iu aqua calcis, & cum arena subigunt in luti formam, atque eo internas
partes granarij obducunt ; etsi Plinius calcem frumentis inimicissimam scri-
bit. Quidam calci pecorum urinam adjiciunt, ali absinthij, Sedi majoris, lu-
pulorumve succum. Nec desunt qui amurcam, halecum garum, & Conizæ
decoctum solo affundunt. Strabo Chalcidicam admiscet ; alij s̄xpius venti-
lando frumentum à Curculionibus integrum servari afferunt : Sed hoc Colu-
mella verum esse pernegat. Cato lib. De re rustica, lutum cum amurca fa-
ctum commendat, atque eo granarium loricari consulit. Eodem fere modo
Varro utitur, sed laudat etiam argillam ex amurca, acere, & frumento mix-
tam. Angli nostri varijs eos modis fallunt atque disperdunt. Quidam in me-
dio acervo ollas cupreas aquâ calidâ semiplenas sic collocant, ut frumentum
fere suprema earum labra attingat : hoc enim pacto curculiones capi vel arce-
ri autumant.

Quidam sacco magno formicas cum Myrmecio sua tota includunt, ac in
angulo granarij postea effundunt : decem deinde dierum spacio formicæ cur-
culiones omnes interficiunt, quibus consumptis, cubilia repetentes auferunt
& exportant. Solent etiam Gallinarum pullos parvos ibidem emittere, qui
citò curculiones omnes depascuntur. Nonnulli falsuginem alliatam asper-
gunt, vel lupulum salictarium, sambuci flores, absinthium, rutam, nigellæ
lemen, mentastrum, juglandis folia, Satureiam, lavendulam, abrotanum,
psyllium, anagyrideren, aceto scillitico incocta : Naporum semine (dulcedi-
nis gratia) mire delectantur : adeo ut præ eo frumentum deserant, atque ejus
efu distenti medij crepent. Hæc utcunque alijs πάρεπον videbuntur, tamen
medicis & Philosophis convenire probat Hippocrates (epistolâ ad Crate-
vam,) non solum in describendis, colligendis, reponendis, utendisque sim-
plicibus artem tenere, sed etiam in præservandis, præparandis, ac ab insito
vel illato veneno putredineque & verme perpurgandis.

Cap. XXII.

De Animalium vermis hexapodis, & primū de pediculis hominum.

Prum homini inter animantia Imperium & monarchiam Deus dede-
rit, ab ipso hic principium ducemus ; primo ætatis tempore dum in-
teger vitæ scelerisque purus degeret, putredini & corruptioni nulli
obnoxio ; at vero ubi plani illius improbissimi artibus seductus, parem cum

Pediculis.



Deo scientiam superbè affectaret, humiliavit eum Deus varijs
morbis, vermisque & lumbricis ; imo quidem pediculis,
syronibus, tineis, termitibus, minutissimisque lendibus &
acaris subjecit : Norunt Acastus, Alcmæon, Phericides, Pha-
ro Ægyptiorum Rex, Cassander Antipatri filius, Democra-
tus, Calisthenes, Olynthius, Scylla dictator, atque illud
Eloquentiæ flumen Herodes, rem ita habere atque scribo ;
qui morbo pediculari contabescentes ; medicamentis & bal-
neis frustra adhibitis, miserè interierunt. Quinetiam Plato-
nem altius forte quam par est, & cum aliorum fastidio sapien-
tem, hoc vilissimo morbo sublatum quidam scribunt ; unde
proverbiū natum, *Pediculi Platoni*. Taceo Henricum secundum tyrannum
crudelissimum, & Theodorum Arrianismi propugnatorem, Vandalorum
Reges : mitto Arnulphum Imperatorem, mollissimum cinædum : Maximum
Cæsarem, turpissimum mœchum, qui etiam à pediculis consumpti, vel mini-

mum